

SIGERI DE CORTRACO
SOPHISMATA

Paris, Bibl. Nation. lat., 16222

Munich, Bibl. roy. lat., 8852

THE HISTORY OF

THE CITY OF LONDON

FROM THE

SIGERI DE CONTRACO

SOPHISMATA

I.

Amo est verbum, hoc est sophisma propositum circa quod unum cod. P
fol. 5 Va
quaeratur, scilicet: utrum haec oratio sit congrua.

Et arguitur quod non. Quia id quod significat per modum fieri non potest supponere verbo, sed amo significat per modum fieri, ergo non potest supponere huic verbo: est. Maior patet, quia ad suppositionem requiritur modus per se entis qui opponitur modo fieri. Minor declaratur: quia « amo » est verbum et omne verbum significat per modum fieri.

Item, illa in quibus non distinguitur grammaticus a logico non reddit grammaticus orationem congruam, sed per modos significandi non distinguitur logicus a grammatico, ergo per modos significandi non reddit grammaticus orationem congruam. Maior patet, quia sicut artifices sunt distincti, sic et ea quae considerantur. Minor patet, quia sicut intentiones secundae sunt entia rationis, sic et modi significandi.

Item, per illa quae formaliter sunt in intellectu non redditur oratio congrua, nunc modi significandi sunt formaliter in intellectu, ergo per modos significandi non redditur oratio congrua. Maior patet, quia oratio non videtur congrua reddi per aliquid quod est extra ipsam. Minor patet per Avicennam qui vult quod omnia entia rationis sunt in intellectu.

Item, cuicumque repugnat modus significandi requisitus ad talem constructionem, ei repugnat congruitas, nunc « amo » repugnat modus requisitus ad talem constructionem, ergo « amo » non potest supponere. Maior patet, quia constructio causatur ex modis significandi. Minor probatur: quia ipsi « amo » repugnat modus significandi per se entis qui ad constructionem suppositi cum apposito requiritur, quia ille intellectus qui aliter concipit quam est in re, falso modo intelligit, nunc « amo » in re est per modum fieri, ergo ei repugnat modus per se entis.

Item, quocumque modo accipiatur, aut supponit aut non supponit. Si supponit, habeo propositum; si non supponit adhuc habeo propositum, quia tunc « amo » supponit in ista oratione dicente: « amo non supponit », ita quod qui negat, affirmat.

Item, si ista oratio est congrua: « amo est verbum », aut hoc est ratione significati, aut ratione modi significandi, aut ratione vocis. Non ratione vocis quia vocem non considerat grammaticus nisi per accidens; nec ratione significati quia significata non causant congruitatem sed magis veritatem; nec ratione modi significandi quia significat per modum fieri.

Oppositum arguitur. Omne verum praesupponit congruum, ista est vera: « amo est verbum », ergo ipsa est congrua.

Ad hoc, dicendum quod ipsa grammatica principaliter est de modis significandi sicut logica est de secundis intentionibus. Modi autem significandi sunt in anima sicut in subiecto quia sicut actio animae intellectivae non transit in naturam exteriorem, sic, nec operatum ab ipsa, sicut prius ostensum est. Unde sicut ratio signandi apud intellectum existens est illud mediante quo vox signat rem, sic modus significandi existens in intellectu est illud mediante quo vox signat modum essendi circa rem, sicut mediante numero singulari signat vox, circa rem, unitatem.

cod. P
fol. 5 Vb

Modus autem significandi de quo grammatica principaliter est duplex: quidam activus et quidam passivus quia, secundum quod dicit Priscianus in Maiore Volumine, quotiescumque ab aliquo verbo activo descendit gerundium desinens in « di », significat duo, scilicet: actionem et passionem. Nunc ab hoc verbo: « significo — cas », actio significandi descendit, ideo modus significandi duo significat, scilicet: modum significandi activum et etiam modum significandi passivum. Est autem modus significandi activus ratio quaedam concessa voci ab intellectu secundum quam talis vox talem rem significat vel talem modum essendi circa rem designat, ut numerus singularis est ratio quaedam, id est ens rationis, concessum voci ab intellectu, quia in intellectu est secundum quem numerum singularem talis vox

significat talem modum essendi circa rem, scilicet unitatem, et eodem modo in omnibus aliis. Est autem modus significandi passivus modus essendi ipsius rei secundum quod talis modus essendi mediante modo signandi a tali voce signatur. Modus autem significandi, de quo ad praesens intendimus, dividitur in modum significandi essentialem et in accidentalem. Modus significandi essentialis est qui ingreditur essentiam partis, sicut substantia et qualitas in nomine. Modus autem significandi accidentalis est qui advenit parti post suum completum esse, sicut accidentia dicuntur accidentia quia adveniunt rei secundum suum completum esse. Modus autem significandi essentialis dividitur, quia quidam est generalis et quidam specialis. Modus autem significandi generalis essentialis est qui ingreditur essentiam plurium partium orationis, sicut substantia ingreditur essentiam nominis et pronominis. Modus autem significandi essentialis specificus est qui est additus modo significandi generali, complet speciem partis sicut differentia specifica addita generi constituit speciem. De numero omnium istorum modorum significandi quidam dicuntur respectivi et quidam absoluti. Modi autem significandi absoluti dicuntur qui non conceduntur dictioni in comparatione ad modum significandi alterius dictionis sed magis ut vox mediantibus illis designet talem modum essendi circa rem. Isti autem modi significandi non sunt principium constructionis quia non sunt principium unionis dictionis cum dictione. Constructio autem est constructibilium unio. Illi ergo modi significandi qui non sunt principium unionis dictionis cum dictione, non sunt principium constructionis, isti autem sunt huiusmodi, ergo non sunt principium constructionis, nisi forte aliquo modo dispositive. Modi autem significandi respectivi dicuntur qui conceduntur dictioni in comparatione ad modum significandi alterius dictionis eis proportionalem et tales sunt principium constructionis quia sunt principium unionis constructibilis cum constructibili. Intelligendum quod omnes modi significandi, quicumque sint, sunt per comparisonem ad proprietates rerum respectivi, et hoc modo illi qui dicuntur absoluti sunt respectivi per comparisonem ad modum essendi, sicut omnes intentiones sunt respectivae per comparisonem ad proprietates rerum. Sed alii qui dicuntur respectivi sunt dupliciter respectivi, et per comparisonem ad modos significandi essendi, et per comparisonem ad modum significandi alterius dictionis ei proportionalem. Ubicumque ergo inveniuntur modi significandi proportionales requisiti ad talem constructionem, est congruitas et constructio congrua, sicut in ista oratione: « amo est verbum ». Sunt modi significandi proportionales requisiti ad talem constructionem, scilicet, suppositi cum apposito, igitur ista est congrua: « amo est verbum ». Maior patet. Minor probatur: quia ad construc-

tionem suppositi cum apposito exigitur ex parte suppositi modus significandi per modum habitus et per modum per se entis, quod patet, quia in quolibet apposito sunt duo istis proportionales, scilicet: modus significandi per modum fieri, qui modo habitus proportionatur in supposito, et modum significandi per modum dependentis, qui proportionatur modo per se entis in supposito; sed ad constructionem talis appositivi, scilicet, modi finiti, exiguntur modi significandi plures, scilicet: persona, numerus et casus in supposito, quia in apposito inveniuntur modi significandi qui istis proportionantur, scilicet: modo fieri, modus habitus; modo dependentis, modus per se entis; personae appositivi, persona suppositivi; in numero, numerus; et modo significandi « ut illud », modus significandi nominativi in supposito. Ista autem omnia ¹ reperiuntur in hoc verbo: « est » et istis proportionales in hoc quod est: « amo », ut apparebit. Ideo congrua est.

Iuxta quod intelligendum quod vult Ammonius supra librum Perihermeneias, capitulo de verbo, quod « amo » sit aequivocum. Uno modo significat amorem sub modo fieri dicibilis de alio, et hoc modo accipitur hic: ego amo, et in similibus. Alio modo significat totum aggregatum ex voce et significato et modo significandi, et hoc modo accipitur cum dicitur: amo est verbum. Modo illud quod significatur per « amo », primo modo, non potest supponere, cuius ratio est quia illud quod significat rem suam per modum fieri et dependentis non potest supponere, eo quod ad suppositum requiritur modus habitus et modus per se entis, ut dictum est prius; nunc illud quod significatur per « amo », primo modo, significatur per modum fieri et dependentis, igitur non potest supponere. Si autem accipiatur secundo modo, potest supponere verbo, quia, ut sic, significat per modum per se entis, et sic | de aliis ad talem constructionem requisitis, quod apparebit. Unde sicut ista se habent per ordinem ²: res, intellectus rei, et vox significans rem mediante intellectu, ut apparet in principio libri Perihermeneias, sic ³ ista se habent secundum ordinem: modus essendi, modus intelligendi et modus significandi. Si ergo est possibilitas ex parte modorum essendi et intelligendi, erit possibilitas ex parte modorum significandi. Nunc in re est ita quod totum aggregatum ex voce, significato, et modo significandi tali in hoc quod est « amo » est aliquid ens distinctum ab aliis huiusmodi aggregatis, scilicet: sano, homo, asinus, quae includunt vocem, significatum et modum significandi; ideo intellectus illud intelligendo isto modo potest imponere ei vocem vel aliam vel eandem quae prius, aequivoce tamen, imponendo videlicet vocem ad significandum totum aggregatum per modum

cod. P
fol. 6 R^a

¹ omnes cod. — ² ordinem cod. — ³ sicut cod.

entis et entis distincti, ideo nominaliter et per modum per se entis, ideo substantive et per modum unitatis, ideo singularis numeri et per modum loquendi de alio, ideo tertiae personae et per modum significandi « ut quod », ideo nominativi casus, et istorum omnium est possibilitas ex parte rei et intellectus, ut dictum est; ideo congrue potest supponere huic verbo « est » in quo inveniuntur modi significandi orationibus istis proportionales, ut dictum est. Est ergo possibilitas ex parte modorum essendi, intelligendi, et per consequens modorum significandi. Necessitas autem impositionis fuit ista: quia non solum volumus facere sermonem de amatione ipsa sub modo significandi fieri et dependentis, imponendo ei nomen « amo », sed etiam volumus facere sermonem de toto aggregato ex voce significato et modo significandi et non possumus nisi per vocem, ideo necesse fuit huic aggregato imponere vocem aliquam ad significandum totum aggregatum sub modis significandi qui dicti sunt, vel eandem vel aliam, non est curandum, sed ut magis sit notum: sit B vox quaedam significans totum quod dictum est sub modis significandi qui dicti sunt; erit ergo B verbum, et congrua ratione modorum significandi qui dicti sunt requisitorum ad constructionem, et vera. Similiter ratione significati, scilicet, totius aggregati, quia verbum, et similiter quaelibet pars orationis, requirit vocem, significatum, et modum significandi, ut alias apparebit. Est ergo ista oratio: B est verbum, vera et congrua.

Sed si quis dicat: de uno et eodem non possunt opposita verificari simul, nunc ista est vera: B est verbum, similiter haec est vera: B est nomen, loquendo de eodem, quia significat per modum entis distincti, ut visum est, nunc nomen et verbum sunt opposita; dicendum quod de B et verificatur et nomen et verbum non tamen de eodem penitus sed aequivoco, ut prius visum est, quia non solum volumus facere mentionem de isto aggregato ex hac voce « amo » et « amatione » et modo significandi eius, imponendo ei istam vocem « B » sub modo significandi per modum entis et distincti, sed volumus similiter facere mentionem de isto aggregato ex hac voce « B », et significato eius, quod est aggregatum quoddam, ut dictum est prius, et modo significandi eius, id est, per modum significandi entis et distincti, imponendo ei vocem vel eandem vel aliam, non est curandum, sed ut magis sit notum: sit C vel B, ergo pro isto significato quod est: « C est nomen », quia nomen requirit vocem, significatum et modum significandi per modum entis distincti et istud totum significat ipsum C, ut dictum est; ideo ista oratio « B est nomen » est vera et congrua, B ergo potest supponere verbo congrue.

Sed si quis dicat: illa vox quae significat aliquid quod paene est in fieri

nōn potest significare per modum per se entis sive per se stantis, quod idem est, sed B est huiusmodi, ideo etc.; dicendum quod idem significatum potest esse sub diversis partibus orationis: si significetur sub alio et alio modo significandi, ut: currit et cursus, idem significant, ideo licet B significet aliquid quod est in fieri, illud tamen significat per modum entis et distincti, ideo non valet; si autem dicatur: quodcumque modus fieri significatur ut quod distinctum ab alio, tunc significatur per ista modus fieri et non per B, dicendum quod verum est, modo per B non solum significatur modus fieri sed significatur similiter vox, et ista significatur per B ut unum distinctum ab aliis, ut dictum est prius, cui respondet unus conceptus suo modo, ut dictum est, quia aliquo modo est quid unum in re.

Sic ergo patet de congruitate istius: amo est verbum, et quomodo « amo » accipitur aliquando pro significato et aliquando pro voce non tamen solum sed pro aggregato, ut dictum est, propter quod dicitur in grammatica metrice:

Significative ponatur dictio pro re,
Sed si pro voce materialis erit.

cod. P
fol. 6 R^b

Ulterius, propter dissolutionem quarundam rationum est intelligendum quoniam grammatica distinguitur ab ipsa logica | et qualiter quando idem considerant diversimode considerant. Unde logica a grammatica ad prae-sens tripliciter distinguitur, scilicet, ex parte finis et ex parte subiecti sive obiecti et ex parte fundamenti illius quod dicitur obiectum respectu subiecti.

Quia ipsa logica, vel homo per logicam, intendit discernere finaliter verum a falso, ut vult Simplicius in Praedicamentis; dicit enim quod sicut artifex volens domum facere inspicit ad finem domus qui est defendere nos ab imbribus et ab huiusmodi et considerat quod protectio non potest fieri sine parietibus, et parietes sine fundamento, et fundamentum non potest poni, nisi terra fodiatur, ideo incipit primo fodere terram ad habendum finem, sic aliquis volens facere logicam cuius finis est discernere verum a falso in speculativis et bonum a malo in practicis, considerat demonstrationem, quae est organum prohibens animam nostram a falsis in speculativis et a malis in practicis, considerans quod demonstratio non haberetur sine syllogismo simpliciter, syllogismus autem non sine propositionibus, nec propositiones sine incomplexo, ideo incipit operari ab incomplexo, scilicet, a libro Praedicamentorum. Grammatica autem finaliter est propter expressionem conceptus mentis per sermonem congruum, et considerat quod istud non potest haberi sine modo construendi, nec istud sine partibus orationis distinctis per modos significandi nec pars sine dictione nec dictio sine syl-

laba nec syllaba sine elemento vel littera potest haberi, incipit grammaticam suam, inspiciens ad finem, ab ipso elemento vel littera. Ideo sicut logica defendit animam nostram a falso in speculativis et a malo in practicis, sic grammatica defendit virtutem nostram interpretativam ab expressione conceptus mentis incongrua in omnibus scientiis. Ideo ordine doctrinae antecedit omnes scientias. Apparet ergo primum qualiter distinguuntur a parte finis.

Secundo, differunt ex parte obiecti vel subiecti quod idem est, quia logica est de ente rationis vel syllogismo universaliter vel de modo sciendi quod idem est, ut apparuit alias (1); grammatica autem est sicut de subiecto, de modo exprimendi conceptus mentis per sermonem congruum. Diversimode tamen opinantur diversi de subiecto grammaticae sicut apparuit alias. Apparet ergo qualiter ex parte subiecti vel obiecti differunt.

Tertio, differunt ex parte fundamenti quod obiectum est respectu subiecti istarum scientiarum quia quaelibet istarum est de entibus rationis aliquo modo, quia entia rationis fundantur super rem vel modum rei sicut super fundamentum vel obiectum. Nam logica est de intentionibus secundis, scilicet, genere, specie, particulari et universali etc., quae omnia sunt entia operata ab anima, ut apparuit in alio sophismate. Grammatica autem est de modis significandi qui similiter sunt operati ab anima, ut apparuit prius, si autem ab eodem modo essendi in re logicus accipiat intentionem secundam, grammaticus autem modum significandi sicut multoties contingit, licet non semper, ut ab eodem modo essendi in re a quo accipit logicus intentionem istam quae est singulare vel individuum, ab illo eodem modo essendi accipit grammaticus modum istum significandi qui est proprium, verum tamen eundem modum essendi istum diversimode considerant logicus et grammaticus: quia logicus considerat ut ab ipso ortum habet ens rationis quod ducit in cognitionem veri, grammaticus autem considerat ut ab ipso ortum habet ens rationis quod ducit aliquo modo in cognitionem expressionis alicuius conceptus congrue. Modo quia expressio conceptus est per vocem magis, verum autem per adaequationem intellectuum et rerum, ut visum fuit in alio sophismate.

Ideo ea quae considerat grammaticus considerat per relationem ad vocem ut vox est signum talis expressionis, logicus autem per relationem ad res magis, ut visum fuit in alio sophismate. Ideo idem diffiniens logicus et grammaticus alio et alio modo diffinit, quia logicus diffiniens singulare dicit quod singulare est quod non est aptum praedicari de pluribus, quae

(1) *Ars Priorum*, p. 5 et sq.

praedicatio est proprie in intellectu tamen per relationem ad res, grammaticus autem diffiniens proprium dicit quod proprium est quod uni soli convenit per appellationem, quae quidem appellatio est ex parte vocis magis. Ideo stylus logicae alius est a stylo grammaticae, id est modus procedendi in logica alius est a modo procedendi in grammatica; propter quod Priscianus illa de quibus est bene manifestavit secundum stylum sibi proprium et possibilem, ut est grammaticus, ut apparebit alias. Sic ergo patet qualiter logicus et grammaticus differunt.

Ad rationes. Ad primam, quod illud quod significat per modum fieri non potest supponere, ideo haec vox « amo » secundum quod significat amationem sub modo fieri non supponit sed semper apponit dicendo « ego amo » et consimiliter. Ad probationem dico: cum dicitur: amo est verbum, concedo, quia hoc praeter verbum verificatur de subiecto ratione totius aggregati, et cum dicitur: verbum per modum fieri significatur, verum est. Si tamen eadem vox accipiatur ad significandum totum aggregatum significabit nominaliter et erit nomen, ut visum est, et sic est in proposito: amo est verbum.

Ad aliam, apparet solutio quia licet logicus et grammaticus considerant eadem aliquando non tamen eodem modo, et ideo non valet.

cod. P
fol. 6 Va

Ad aliam, dico quod per illa quae formaliter sunt in intellectu ut in subiecto | denotatur bene oratio congrua sicut res dicitur universalis per universalitatem existentem in intellectu ut in subiecto; ideo oratio per aliquid quod est extra ipsam bene dicitur congrua dum tamen habeat attributionem ad ipsam aliqualem.

Ad aliud, dico quod huic aggregato quod est « amo » non repugnat modus significandi per se entis distincti, ut visum est prius, nec intellectus aliter concipit quae est in re, ut dictum est.

Ad aliud, dico quod « amo » non supponit primo modo acceptum, ut dictum est, sed secundo modo bene supponit. Si dicatur: « amo » primo modo acceptum, aut supponit aut non: si supponit habeo propositum, si non similiter habeo propositum quia negando affirmas; dico quod « amo » ut significat amationem sub modo fieri non supponit sed ut significat aggregatum supponit; quando dicitur: « amo » pro primario significato aut supponit aut non, tunc implicantur contradictoria, quia accipitur « amo » pro secundario significato, tunc cum dicitur: « amo » pro primario significato aut supponit aut non, quia aliquis non potest loqui de « amo » ut de ipso aliquid dicatur nisi accipiatur pro secundario significato eius, tamen addebatur: pro primario significato. Ideo quando dicitur: « amo » pro primario

significato, aut supponit aut non ; dico quod supponit et non supponit quia quantum ad illud quod principaliter intelligitur per hoc quod dicitur « amo » pro primario significato, non supponit, tamen quantum ad illud quod per hoc designatur quod est « amo » secundarium supponit ; ideo quando dicitur : si non supponit, habeo propositum, dico quod non, quia in ista negatione « amo » pro primario significato accipitur « amo » secundario significato ; ideo non valet.

Ad aliud, dico quod congrua ratione modi significandi per modum habitus et per se entis et ratione aliorum requisitorum ad talem constructionem, ut visum est.

II.

Magistro legente pueri proficiunt, hoc est sophisma circa quod quaeritur unum, scilicet, utrum ablativus qui dicitur poni absolute, ab aliquo regitur.

cod. P
fol. 7 Vb

Et videtur quod non. Quia illud quod est absolutum a regimine non regitur, sed talis ablativus est huiusmodi, ut patet per Petrum Heliam, ergo non regitur.

Praeterea. Si iste ablativus regatur, aut hoc est ab hoc quod est « pueri », aut ab hoc quod est « proficiunt », aut ab aggregato ; non ab hoc quod est « pueri », quia nullus modus significandi proportionalis reperitur inter hoc quod est « pueri » et inter ablativum ; nec ab hoc quod est « proficiunt », nec a toto aggregato, quia modus significandi non debetur orationi, sed dictioni vel parti.

Praeterea. Dictum commune non est in toto falsum, sed communiter dicitur quod ablativus ponitur absolute et sine regimine, ergo non regitur.

Praeterea. Per entia logicalia non possunt dari rationes constructibilium, sed nichil videtur in ablativo absoluto ratione cuius ¹ | possit construi cum « pueri ² proficiunt », nisi quod est antecedens et aliud consequens, sed ista sunt entia logicalia, ergo nullo modo regitur.

cod. P
fol. 8 Ra

Praeterea. Illud nullo modo regitur, cui nullo modo debetur modus significandi, sed orationi nullo modo debetur modus significandi, ergo nullo modo regitur. Maior patet. Minor demonstratur : quia modus significandi est ens rationis simplex, ergo obiectum eius debet esse simplex ; nunc oratio est quid compositum, ideo etc.

¹ ratione cuius] *bis cod.* — ² cum pueri] *bis cod.*

Oppositum arguitur sic. Constructio est constructibilium unio. Ubi est ergo constructio et unio proportionalis, ibi est regimen, sed in ista oratione est sic, ideo etc.

Praeterea. Omne indignum¹ videtur regi a magis digno, nunc in hac oratione est reperire minus dignum et magis dignum, ergo ibi est reperire regimen.

Praeterea. Ubicumque est reperire nobilius et minus nobile, ibi est reperire regimen, sed sic est in proposito, ergo ibi est reperire regimen.

Ad quaestionem dicendum praeintelligendo tria: primum est quid sit ablativus, secundum est quid sit absolutum, tertium est quid regere.

Circa primum intelligendum est quod ablativus est modus significandi. Nunc modus significandi quidam est activus et quidam passivus, quidam essentialis, quidam accidentalis, quidam absolutus, quidam respectivus, ut patet in illo sophismate: AMO EST VERBUM (1). Qualiter autem modi significandi sunt principium constructionis et qui sunt principium constructionis, scilicet, modi significandi respectivi, dictum est in illo sophismate: AMO EST VERBUM (2). Nunc ablativus est modus significandi, quia concessus est voci, ut mediante illo designet modum essendi in re; et est modus significandi accidentalis, quia advenit parti post suum completum esse. Est modus significandi respectivus qui attributus est dictioni in comparatione ad modum significandi alterius dictionis sibi proportionalem, ut apparebit inferius. Iste autem modus significandi qui est ablativus continetur sub isto modo significandi accidentali qui est casus. Est enim casus modus significandi accidentalis respectivus designans circa rem proprietatem per quam unum constructibile determinat dependentiam alterius. Modus autem significandi qui est casus sub se habet plures modos significandi speciales qui possunt circumloqui per adiunctionem huius quod est « qui »; ita quod modus significandi nominativi designat per modum « ut quod », genitivus « ut cuius », dativus « ut cui », accusativus « ut quem », vocativus per modum exercitii et ablativus « ut a quo ». Est ergo ablativus modus significandi accidentalis respectivus designans circa rem modum essendi « ut a quo » et quia modus essendi « ut a quo » dicitur multis modis, ideo iste modus significandi qui est ablativus, quia illo est acceptus, plures constructiones habet,

¹ indignus *cod.*

(1) Cfr. supra, p. 131.

(2) Cfr. supra, pp. 131-132.

ut patet per Priscianum, in secundo Minoris, quia multiplicata causa, multiplicatur effectus. Sic ergo patet primo, videlicet quid est ablativus.

Circa secundum est intelligendum quod absolutum dicitur quattuor modis, ut vult Commentator super Minus Volumen. Uno modo dicitur absolutum a transitione, et hoc modo verba, substantia et neutra dicuntur a Prisciano absoluta. Alio modo a regimine, ut in proposito, sed secundum quem modum debet intelligi apparebit inferius. Alio modo dicitur absolutum a discretione et hoc modo dicit Priscianus in primo Minoris quod omnes obliqui pronominum apud Latinos sunt absoluti. Quarto modo dicitur absolutum ab adiectiva determinatione, sic substantivum aliquando dicitur absolutum, quando ponitur in designatione essentiae, ut: homo pacis, vel e converso a substantiva determinatione, ut: unus, duo, tres. Est ergo absolutum, ut hic accipitur, modus quidam significandi attributus dictioni sub ratione qua aliquo modo regimine caret, ut apparebit inferius. Sic ergo patet secundum, scilicet quid sit absolutum prout hic accipitur.

Circa tertium est intelligendum quod regimen in entibus grammaticilibus debet sumi ad similitudinem regiminis veri. Nunc secundum quod patet primo Politicorum in qualibet multitudine digniora regunt minus digna; ideo, ut patet ex octavo Physicorum et duodecimo Metaphysicae, in genere entium est devenire ad aliquod primum dignissimum et nobilissimum quod omnia entia regit, videlicet causa prima, vel Deus, ut patet ex libro De Causis. Similiter in genere corporum est devenire ad aliquod corpus unum, simplex, dignissimum, quod regit omnia alia corpora quodam ordine divinae Providentiae, videlicet corpus caeleste, ut patet ex libro De Caelo. Et similiter in genere animalium, ad aliquod unum animal dignissimum regens omnia animalia, ut homo; et in Physicis scribitur quod nos sumus finis. Et similiter in eodem homine est devenire ad aliquam partem unam corpoream, quae regit omnia alia membra, videlicet cor; et ideo in medio situatur ut rex in regno, ut patet ex libro De Morte et Vita. Similiter in genere virtutum in homine est devenire ad aliquam unam virtutem quae regit omnes alias videlicet intellectus possibilis, vel, secundum Averroem, intellectus adeptus, ut patet ex intentione Avicennae et Algazelis. Sic ergo patet quod in omni multitudine aliquod unum regimen invenitur. Istud autem, si dirigat illa ad rectum finem, dicitur regimen rectum; si autem non, non dicitur regimen vel non dicitur rectum. Nunc autem ad similitudinem | huius sumitur regimen inter partes orationis, ita quod est devenire ad aliquam partem orationis dignissimam respectu talis multitudinis, quia multitudinem et orationem complet, quae proprie regit omnes alias partes et a nulla alia regitur, videlicet verbum. Ideo in grammatica dicitur quod quaedam regunt

et non reguntur, et sic in qualibet oratione sive perfecta sive imperfecta semper dignius regit minus dignum. Est ergo regere in grammatica actus rationis qui attribuitur dictioni sub ratione qua regit aliam vel alias ad rectum finem habendum videlicet ad exprimendum conceptus mentis congrue et debito modo. Verum tamen grammatici antiqui ponebant quod regere est conferre dictioni poni in tali casu in quo debet stare, ita quod regimen attribuebant casibus, quod non debet fieri propter causam supradictam. Ideo partes indeclinabiles dicebantur ab ipsis neque regere neque regi, quod non est verum, ut patebit in alio sophismate: O MAGISTER (1). Nomina autem appellativa dicebant regere et regi, ut: capa Socratis, et in hoc bene, quia omne nomen significans rem suam per modum possessionis regit genitivum casum significantem rem suam per modum possessoris, ut patet ex secundo Minoris; nomina vero propria dicebant regi et non regere, quod non est verum quia nomen proprium regit suum adiectivum. Sic ergo patet quid est regere.

His visis, dicendum quod ablativus qui dicitur poni absolute regitur sumendo regimen proprie ut debet sumi; tamen, loquendo de regimine minus proprie, non regitur ab aliquo. Primi declaratio est quia ubicumque est constructio, ibi est proportio multorum, nunc inter ablativum significatum sub ratione antecedentis et ipsum consequens est constructio, ut apparet per Priscianum in secundo Minoris, ubi vocat talem constructionem ipsius ablativi constructionem consequentiae, ergo et proportio multorum. Nunc prius dictum est quod in omni multitudine est necessario reperire aliquod regimen; tale autem in praedicta constructione est ipsum consequens, ut: « pueri proficiunt »; quia illud quod est dignius et nobilius regit minus dignum, sed consequens nobilius est antecedente, ideo habitudo inter consequens et antecedens, quae dicitur consequens, nomen accipit a consequente. Sic ergo illud quod se habet sub ratione consequentis regit ablativum se habentem ut antecedens, et universaliter ipsum verbum regit alia, ut dictum est prius.

Si autem aliquis instaret sic: omne dignius et nobilius regit minus dignum et minus nobile, sed nomen dignius est verbo quia substantia dignior est accidente, quod patet, quia illud quod magis habet de entitate est dignius, sed substantia est huiusmodi, ideo etc.; item illud quod est magis sufficiens regit alterum quia rex per se sufficiens debet esse, ut scribitur in Ethicis, sed substantivum est magis sufficiens, ideo etc.; dicendum quod licet nomen per se consideratum sit dignius et nobilius et magis

(1) Cfr. infra, pp. 143 et sqq.

sufficiens, tamen respectu constructionis totius, verbum nobilius est, quia magis se tenet ex parte formae totius, nunc forma orationis est compositio, ut dicitur septimo Metaphysicae, modo verbum magis importat compositionem, ideo etc.

Sic ergo patet quod inter « magistro legente » et « pueri proficiunt » est regimen per modos significandi proportionales, nam aliquid significatum per modum consequentis proportionatur alicui significato per modum significandi ablativi sub ratione antecedentis, quod patet: quia modi essendi ipsorum sunt proportionales, quia modus essendi ab aliquo ut consequens, proportionatur modo essendi « a quo » ut antecedens; modus essendi ut « a quo » est modus essendi ablativi, ut visum est prius; ideo modi significandi proportionantur, et hoc vult Priscianus, quia omne illud quod *significat* rem suam per modum consignificationis consequentiae, regit aliquid quod significat rem suam per modum ablativi ut antecedens.

Si autem aliquis instaret: illud quod proprie convenit nominativo, non convenit ablativo, sed modus essendi ut de quo alterum enuntiatur est modus significandi nominativi, non ergo ablativi; dicendum quod modus essendi nominativi est modus essendi « ut quid », ut prius dictum est, nec modus essendi ut de quo alterum enuntiatur est proprius nominativo, immo competit aliis, ut dictum est, scilicet accusativo et ablativo, sic ergo patet quod inter ista est regimen. Similiter inter ista est regimen rectum per comparisonem ad finem rectum quia ad exprimendum recte conceptum mentis. Habens enim aliquis in mente quod ex locutione magistri pueri audientes proficiunt, volens exprimere mentis conceptum consecutionis¹ actus ad actum sine coniunctione, exprimit: magistro legente pueri proficiunt, quia illa constructio fuit inventa ad hoc ut aliquid significans rem suam per modum actus consequeretur ad aliquid significans rem suam similiter per modum actus, sine coniunctione, ut patet primo Minoris. Sic ergo patet quod inter ista est regimen rectum, et per quos modos significandi, quia per modum | significandi « alicuius » sub ratione consequentis et per modum significandi ablativi sub ratione antecedentis. Et similiter patet a quibus modis essendi sumuntur, quia a modo essendi ut « a quo » sicut ab antecedente et a modo essendi « alicuius » sub ratione consequentis. Sic ergo patet qualiter ista constructio differt ab aliis constructionibus ipsius ablativi.

cod. P
fol. 8 Va

Si autem aliquis instaret sic dicendo: aliquo ambulante coruscavit, ponitur ablativus absolutus, tamen ibi non est antecedens nec consequens

¹ constitutionis *cod.*

nec demonstrat oratio, ut dicitur primo Posteriorum ; dicendum : dato quod aliquid non sit antecedens nec consequens, dum tamen sit significatum per modum consequentis et antecedentis sufficit ad talem constructionem et ad grammaticum qui modos significandi considerat ; unde grammaticus attribuit diversas constructiones eidem sub alio modo significandi, ut patet in « lectio » et « lego ». Nunc autem « ambulo » nullo modo est antecedens coruscationis. Ideo si intellectus designet hoc per sermonem praedictum, consequentia non est bona, tamen sermo est congruus, et quia ablativus debet esse significans per modum *consequentis*¹, et unus ablativus² sub ratione antecedentis non significat, ideo duo ablativi debent esse, et ideo incongrua est : « magistro pueri proficiunt » ; et quia constructio fuit inventa ad designandam consecutionem actus ad actum sine coniunctione, ideo unus ablativus debet esse significatus per modum actus, et licet aliquid sit antecedens vel consequens, et non sit significatum per modos significandi supradictos non sufficit ad talem constructionem ; et quia talis constructio dicitur constructio consequentiae, et istae coniunctiones « si » « dum » et « quia » magis³ res suas per modum consequentiae significant, ideo per ista constructio praedicta resolvitur. Sic ergo patet primum videlicet qualiter accipiendo regimen proprie ablativus qui dicitur poni absolute regatur.

Secundi declaratio est videlicet quod, accipiendo regimen minus proprie, ut antiqui grammatici acceperunt, non dicitur regi quia secundum ipsos regere est conferre dictioni in tali casu poni, in quo stare debet ; et quia in tali constructione non sufficit una dictio sed ad minus oratio una, ut dictum est, ideo dicebant ipsum absolute poni et non regi.

Per hoc ad rationes. Ad primam, cum dicitur : omne illud quod absolutum est a regimine non regitur, verum est, et cum dicitur : talis ablativus est huiusmodi, verum est, loquendo de regimine minus proprie ; tamen loquendo de regimine proprie, ut ex praedictis patet, regitur.

Ad aliam, cum dicitur : si iste ablativus regatur aut hoc esset ab hoc quod est « pueri » aut a « proficiunt » aut ab aggregato ; dicendum quod ab aggregato, et cum dicitur : aggregatum est oratio, et orationi non debetur modus significandi, falsum est, immo orationi, ut oratio est, bene debetur aliquis modus significandi, nam coniunctio construitur per suum modum significandi cum orationibus sub modo significandi proportionali, ut patet de « si » et de « et » et de « vel », et similibus.

¹ antecedentis *cod.* — ² alius *cod.* — ³ bis *cod.*

Ad aliam, cum dicitur : per entia logicalia non possunt dari rationes construendi, verum est ut sic ; tamen si alio modo considerentur, bene est possibile, nam unum et idem bene est consideratum a grammatico, ut est principium constructionis, et a logico alio modo, ut patet intuenti.

Ad aliam, cum dicitur : commune dictum non est ex toto falsum, verum est, et apparet ex dictis qualiter verum et falsum.

Ad ultimam rationem, cum dicitur : illud non regitur cui non debetur modus significandi, verum est, et cum dicitur : orationi non debetur modus significandi falsum est, sicut apparet ex dictis.

Et per hoc patet solutio sophismatis totius.

III.

O Magister, haec oratio grammaticalis proposita de qua potest quaeri utrum congrua vel incongrua, perfecta vel imperfecta, et potest dici quod est congrua et perfecta quantum ad intellectum, incongrua tamen et imperfecta quantum ad sensum. Iis omissis, quaeritur circa eam gratia huius adverbii : « O », utrum partes indeclinabiles habeant duos modos significandi essentielles quorum unus sit generalis et alter specialis sive specificus sicut in partibus declinabilibus, ut in nomine et in aliis reperitur. Secundo potest quaeri utrum hoc quod est « O » possit congrue construi cum hoc quod est « magister ».

cod. P
fol. 6 Va

De primo arguitur quod partes indeclinabiles non habent duos modos significandi essentielles quorum unus sit generalis, alter specificus, quia si sic, tunc interiectio et praepositio eos haberent cum sint partes orationis, nunc immediate non videntur eos habere, ideo etc.

Praeterea. Illae partes quae non distinguuntur ab aliis secundum speciem non habent duos modos significandi essentielles, generalem scilicet et specialem, quia per modum significandi unaquaeque pars distinguitur ab aliis, nunc partes indeclinabiles sunt huiusmodi quia trahunt significata et modos significandi ex adiunctis, secundum quod vult Priscianus, primo Minoris, ergo etc.

Oppositum arguitur sic. Ad essentiam alicuius speciei consideratae a logico non sufficit natura generis, immo requiritur natura speciei, ergo similiter ad essentiam speciei grammaticalis non sufficit modus significandi generalis, immo requiritur specificus, ideo etc.

Dicendum quod differunt vox, dictio et pars. Vox non est vox propter modum proferendi; et ideo dicitur in libro De Anima quod vox est percussio aeris respirati ad arteriam vocalem ab iis partibus cum imagine significandi. Dictio autem est dictio propter rationem signandi. Sed pars est pars per modum significandi. Modus autem significandi est conceptus sive habitus intellectus; nunc habitus intellectus principalitatem habet ex principalitate obiecti. Modus autem significandi habitus intellectus sumitur sicut ex obiecto ex proprietate ipsius rei vel ab ipsa re et ideo secundum principalitatem ipsarum sunt modi significandi principales et per consequens partes orationis; nunc illud quod principaliter et primo occurrit intellectui nostro est ipsum ens et proprietates eius, ut vult Avicenna, videlicet proprietates entis ut est ens et quiescens, magis extendendo ens ad esse genus entis sive in anima sive extra animam et proprietates ipsius esse et motus magis extendendo ipsum esse ad ipsum modum motus, sive proprie sive improprie dicti, propter quod modi significandi sumpti ab iis proprietatibus sunt magis principales et per consequens partes orationis constitutae per istos modos significandi sunt magis principales. Tales autem modi significandi sunt modi significandi per modum habitus entis vel quietis substantiae vel permanentis, quod idem est, et modus significandi per modum esse motus fieri vel actus, quod idem est. Isti autem modus significandi reperiuntur in IV partibus orationis: primus videlicet in nomine et pronomine; secundus in verbo et in participio et ideo istae partes dicuntur principales habentes pro accidentibus: numerum, personam, casum, modum, tempus, penes quae attenditur declinatio, et ideo sunt declinabiles. Aliae autem partes orationis sunt minus principales quia modi significandi ipsarum sumuntur a proprietatibus minus principalibus, et sunt indeclinabiles quia carent illis accidentibus penes quae attenditur declinatio et sunt magis de bene esse orationis quam de esse, ut probat Priscianus, primo Minoris; partes ergo quae significant per modum entis et esse sunt principales magis et declinabiles, aliae autem minus principales | et indeclinabiles, ut dicit Commentator, quinto Physicorum, quod omnes gentes in hoc conveniunt quod posuerunt nominationum principia nomen et verbum et posuerunt nomen cuilibet formae quiescenti et verbum cuilibet formae mobili et posuerunt partes indeclinabiles ad collationem inter illa duo. Sub verbo forte comprehenditur participium et sub nomine pronomen. Et est intelligendum quod partes orationis sunt inventae ad exprimendum conceptum mentis per sermonem congruum, ut vult Boetius, et ideo licet aliquae partes orationis sint de bene esse respectu expressionis conceptus mentis considerando absolute, sunt tamen de esse orationis respectu expressionis con-

ceptus talis; unde multi sunt conceptus qui nullo modo exprimerentur per sermonem congruum nisi essent partes indeclinabiles, de quibus ad praesens aliquid dicitur. Pars ergo est pars per modum significandi. Modus autem significandi quidam est activus et quidam passivus. Modus autem significandi activus quidam est generalis et quidam est specialis, quidam essentialis, quidam accidentalis, quidam absolutus et quidam respectivus, et quid est unumquodque hoc patet in illo sophismate: AMO EST VERBUM (1). Modo dico quod omnes partes indeclinabiles habent duos modos significandi essentielles quorum unus est generalis, alter specificus, sicut inducendo patebit secundum similitudinem quam in nomine reperimus. In nomine enim reperimus unum modum significandi essentialem generalem, videlicet: significare per modum entis vel substantiae etc., qui dicitur essentialis quia essentiam nominis ingreditur, sed generalis dicitur quia in alia specie partis reperitur, videlicet in pronomine. In nomine etiam reperimus unum essentialem specificum, videlicet: significare per modum qualitatis vel per modum facti esse sive per modum distinctae apprehensionis, quod idem est, ita quod est imaginandum in speciebus grammaticae sicut in speciebus consideratis a logico, ita quod sicut in diffinitione alicuius speciei consideratae a logico semper ponitur aliquid quod habet rationem generis quia in alia specie reperitur, sicut animal in diffinitione hominis, et ideo ponitur aliquid quod habet rationem specificae differentiae quod speciem constituit et illam ab aliis distinguit, sicut rationale in diffinitione hominis, ita in speciebus consideratis a grammatico, videlicet in speciebus partium orationis, dicuntur poni in diffinitionibus illarum specierum duo modi significandi essentielles integrantes essentiam illius speciei, quorum unus est generalis quia in alia specie partis reperitur et similiter in omnibus illius partis, et alius specificus qui est sicut differentia specifica in diffinitione speciei logicalis distinguens illam partem ab omnibus aliis speciebus. Est tamen intelligendum quod licet iste modus significandi qui dicitur specificus respectu modi significandi generalis quem specificat specificus dicatur, tamen aliquomodo potest dici generalis respectu contentorum sub illa specie quia omnibus contentis sub illa specie competit; omnes ergo partes tam declinabiles quam indeclinabiles debent habere duos modos¹ significandi essentielles, integrantes essentiam speciei illius partis, et cum adverbium est pars orationis indeclinabilis

¹ *bis cod.*

(1) Cfr. supra, pp. 130-131.

habebit tales duos modos significandi essentiales quorum unus est generalis et alter specialis.

Modus autem significandi generalis ipsius ADVERBII est significare per modum disponentis et dicitur generalis quia reperitur in aliis speciebus orationis, videlicet in praepositione et quibusdam aliis, ut apparebit. In hoc enim modo significandi adverbium non differt ab omnibus aliis speciebus orationis. Habet etiam adverbium modum significandi essentialem specificum per quem sicut per differentiam specificam distinguitur ab omnibus speciebus orationis, et per quem ipsum in specie partis orationis reponitur, videlicet: significare per modum determinantis actum vel aliquid quod rem suam significat per modum esse, fieri, motus vel actus, et hoc videtur velle Priscianus, in Maiore Volumine, ubi dicit quod adverbium est pars indeclinabilis cuius significatio verbis adiungitur et accipit significationem per modos significandi, et hoc idem vult in Minore Volumine, ubi dicit quod adverbium vi verbi est adiectivum intellectus; per hoc quod dicit: « adiectivum » modum significandi disponentis eo quod adiectiva disponunt sicut adverbia, per hoc quod dicit: « verbi » intendit actum. Hoc etiam vult Donatus dicens quod adverbium est pars orationis quae adiect[iv]a verbo significationem eius explanat atque implet. Sic ergo omne adverbium in quantum huiusmodi significat rem suam per modum determinantis actum, fieri vel esse generaliter sumptum, sive sit significatum per verbum, sive per participium, ita quod isti duo modi significandi sunt essentiales omnibus adverbii in quantum adverbia sunt; unus tamen proprie dicitur generalis quia in alia specie partis reperitur, alius specificus quia partem in speciem constituit, licet ille specificus posset dici aliquo modo generalis respectu omnium adverbiorum contentorum sub eo, et sic patet quod adverbium primo et per se est dispositio actus. Si autem sit dispositio alicuius alterius, hoc est per aliquem modum significandi eius accidentalem similiter additum vel per comparisonem ad actum, et ideo voluit Priscianus, in primo Minoris, quod quia plura dubitamus de actibus, ut: qualitatem et quantitatem vel numerum, et sic de aliis, ideo inventa fuerunt plura adverbia eis correspondentia. |

Modus ergo significandi per modum disponentis est essentialis adverbio.

Et si aliquis dicat quod modus significandi unius partis non potest esse accidentalis alteri quia « quod vere est, nulli accidit », ut dicitur primo Physicorum, nunc modus significandi per modum disponentis est essentialis adverbio, ergo non potest esse accidentalis nomini: consequens est falsum, ergo et antecedens, falsitas consequentis patet quia nomina adiectiva significant per modum disponentis; istud non valet propter duo: quia modus

significandi disponentis non est univocus et unus quia ab alio modo essendi accipitur, ut patet aliququaliter ex dictis, tum quia aliquid bene est essenziale uni et accidentale alteri, ut color est essentialis albedini, accidit tamen dulci, ut vult Philosophus, secundo De Anima, et propositio Philosophi dicens : « quod vere est, nulli accidit », intelligenda est de illis quae sunt in praedicatione substantiae.

Et si ultra secundum dictum dubitatur : ubicumque reperitur generale, ibidem reperitur aliqua species illius, si ergo modus significandi disponentis generalis adverbii reperitur in nomine, ibi necessario reperietur aliqua species adverbii ; istud non valet, quia secundum illam positionem modus significandi disponentis non solum est generalis ad partes indeclinabiles, immo, reperitur in aliquibus partibus declinabilibus, et cum species illius aliquo modo sunt nomina adiectiva, quia bene stant simul quod modus disponentis sit accidens nominis et quod sit essentialis nominibus adiectivis, sicut bene stat quod albedo sit accidens hominis et tamen est de essentia hominis albi, modus ergo significandi per modum disponentis est essentialis adverbio.

Et si quis dicat : modus significandi essentialis alicuius partis non debet repugnare modo significandi accidentali quia accidens qualificat illud cuius est, modo « aliquis » est modus significandi adverbii, scilicet, significare per modum excludentis quem important « tantum » et « solum » et similia, qui repugnat, ut videtur, modo generali, videlicet, modo disponentis, quia excludere et disponere non stant simul ; dico quod non valet quia aliquid bene disponit respectu unius et excludit respectu alterius, et ideo adverbium ratione modi significandi essentialis semper disponit actum, ratione tamen modi accidentalis bene excludit etiam excludendo respectu huius respectu cuius disponit, verbi gratia, dicendo : tantum Socrates currit, hoc adverbium « tantum », in quantum adverbium est, disponit actum per comparisonem ad Socratem, in quantum tamen exclusivum excludit actum illum ab omnibus aliis, et eodem modo dicendo de comparatione.

Si aliquis instaret quod adverbia comparativa, in quantum talia sunt, respiciunt alicuius excessum secundum magis et minus, tamen secundum quod adverbia sunt, actum disponunt ; et si quis dicat : modus significandi specificus solum competit uni speciei sicut differentia specifica solum convenit uni speciei, sed modus significandi per modum determinantis actum competit praepositioni, sicut vult Priscianus : dicit quod praepositio cum suo casuali actum verbi determinat ; dico quod non valet quia modus significandi per modum determinantis actum non est specificus praepositionis, ut post apparebit. Et haec de adverbio sufficiant.

CONIUNCTIO similiter est pars orationis indeclinabilis habens duos modos significandi essentielles, quorum unus dicitur generalis, alter specialis sive specificus. Modus significandi generalis essentialis coniunctionis est significare per modum disponentis, qui dicitur generalis quia in alia specie reperitur, ut in adverbio, ut visum est prius. Modus autem specialis¹ coniunctionis est significare per modum unitatis extendendo unionem, et hoc plane videtur velle Priscianus, in Maiore, ubi dicit quod coniunctio est pars orationis indeclinabilis coniunctiva aliarum partium orationis, vim vel ordinem demonstrans; per hoc quod dicit « coniunctiva » tangit modum disponentis quia coniungere disponere est, vel per hoc quod dicit « vim vel ordinem demonstrans » circumloquitur modum significandi specificum ad illa duo, scilicet, modum unitatis, et hoc modo in diffinitione verbi circumloquitur modum fieri esse vel motus peragendi vel patiendi et in hoc videtur concordare primo Minoris, ubi vult quod coniunctio sic se habet ad alias partes sicut vinculum ad corpora, modo vinculum habet duplicem comparisonem ad corpora, tum quia disponit, tum quia unit ea ad invicem. Ergo similiter coniunctio ad omnes partes sive sint declinabiles sive indeclinabiles sic se habebit disponendo videlicet et uniendo, et hoc vult Donatus quod coniunctio est pars orationis adnectens ordinansque sententiam. Coniunctio ergo habet duos modos significandi essentielles quorum unus est generalis, alter specialis, et per ambos hos modos significandi coniunctio est principium constructionis quia per modum significandi per modum disponentis construitur cum aliis partibus orationis vel orationibus significantibus res suas per modum disponibilis, et per modum unitatis construitur cum aliquibus significantibus res suas per modum unibilis. Coniunctio ergo est principium constructionis; quod tamen aliqui magistri negabant, opinionem suam confirmantes quia omnis coniunctio est per modos significandi | proportionales, sed coniunctio non habet modos significandi proportionales, quod falsum est, ut jam apparuit. Et si probetur: nonne coniunctio coniungit inter dictiones diversorum numerorum, personarum, casuum, et sic de omnibus aliis modis significandi? Ergo non requirit modum significandi proportionalem; dico quod coniunctio construitur cum aliis per modos qui dicti sunt, qui modi compatiuntur secum diversitatem numerorum, personarum et casuum, et sic de aliis, ut patet cuilibet diligenter inquirenti.

Practerea. Si dicatur quod haec coniunctio « si » unitur cum antecedente et consequente quae sunt orationes, orationis autem non est modus significandi sed partis; dico quod orationis adhuc ut est quod complexum bene

cod. P
fol. 7 R^b

¹ specialis cod.

est modus significandi disponibilis vel unibilis, ut de se patet, licet multi alii modi significandi qui debentur partibus eis non debeantur.

Praeterea. Si dicatur: omnis constructio aut est transitiva aut intransitiva, sed coniunctio nullam harum facit; dico quod coniunctio facit constructionem intransitivam quia ad hoc fuit coniunctio inventa ut ea quae non sunt de se unum denominaret ut unum: aliquo modo unitas aut identitas pertinent ad constructionem intransitivam, ut patebit alias.

Sic ergo patet quod coniunctio habet duos modos significandi ¹ essentielles, generalem videlicet et specialem.

Et si dicatur: modus significandi accidentalis non debet repugnare modo specifico, nunc autem potestas est accidens coniunctionis secundum Donatum et potestas disiunctiva repugnat modo specifico coniunctionis quia significare per modum unientis et significare per modum distinguētis repugnant, quia distinguere et unire repugnant; dico quod aliquid unum et idem bene distinguit et unit respectu diversorum, quod de se patet in multis vinculis, et ideo haec coniunctio distinctiva « *vel* » ² dicendo: Socrates vel Plato currit, unit Socratem respectu Platonis, tamen distinguit alterum respectu cursus, et hoc manifeste vult Boetius: dicit quod coniunctio disiunctiva ea inter quae coniungit simul esse non permittit, et hoc voluerunt dicere antiqui grammatici, si bene intelligantur, metrice dicentes:

Coniungit voces, disiungit significata,

quia non est intelligendum quod construantur invicem ratione vocis sed ratione modorum significandi qui praesupponunt vocem et significatum, quia vocis non significativae non est modus significandi, sed est intelligendum quod coniunctio disiunctiva, in quantum coniunctio est, coniungit aliqua invicem ratione modi significandi proportionalis, et quod, in quantum disiunctiva, disiungit significata illorum respectu tertii per modum significandi similiter proportionalem, verbi gratia dicendo sic: « Socrates vel Plato currit »; per modum significandi proportionalem hoc quod est Socrates et Plato significant per modum disponibilis et unibilis, et ideo haec coniunctio « *vel* », ut coniunctio est, significans per modum unitatis et disponentis, constructionem habet congruam cum eis. Similiter hoc quod est Socrates et Plato significant per modum disiungibilis respectu alicuius tertii; ista constructio « *vel* » de suo modo significandi accidentali significat per modum disiungentis respectu tertii et ideo constructionem

¹ *bis cod.* — ² *ut cod.*

congruam habet cum hoc quod est Socrates et Plato, dicendo « Socrates vel Plato currit », et eodem modo considerandum est in aliis coniunctionibus specialibus. Et haec de coniunctione sufficiunt.

PRAEPOSITIO similiter est pars orationis indeclinabilis habens duos modos significandi essentialis quorum unus est generalis et alter specialis. Iuxta quod est intelligendum quod secundum quod vult Priscianus in Maiore Volumine, capitulo de praepositione, et in Minore, ante capitulum de possessivis, praepositio apud Graecos addebatur per appositionem accusativo, genitivo, dativo, non autem ablativo, quia Graeci ablativum non habebant, non autem nominativo nec vocativo, quia actus de se unit se ex parte ante nominativo et vocativo. Praepositiones sunt ad retorquendum casualem ad actum et iterum quia omnes praepositiones inventae sunt propter habitudines transitivas denotandas, ut vult Priscianus in Minore Volumine; nunc nominativus et vocativus sunt intransitivi, ut vult Priscianus in secundo Minoris. Unde quaedam sunt verba quae sunt ita vehementis transitus quod de se et immediate possunt transire in casuale, ut : amo, diligo, lego, et similia, et quaedam sunt quae non sunt vehementis transitus, quod etiam possunt de se et immediate transire in casuale, ut : vado, venio, et similia, propter quod praepositiones adinventae fuerunt ut, ipsis mediantibus, casuale retorquatur ad actus tales. Priscianus autem et Donatus quorum opiniones in grammaticis prosequi debemus addunt praepositionem per appositionem solum accusativo et ablativo, cuius rationem assignat Priscianus, in Maiore Volumine, capitulo de praepositione : quia isti casus proprie sunt transitivi et praepositiones semper transitionem designant, ideo alio modo essent sumendi modi significandi praepositionis secundum opinionem Graecorum et secundum opinionem Latinorum, videlicet Prisciani et Donati.

Praeterea. Est praevidendum quod de praepositione a Prisciano vel Donato determinate parum possumus habere quia semper videntur innuere quod quaedam sunt praepositiones additae quibusdam partibus per compositionem, propter quod diffiniunt ipsam praepositionem dicentes quod est pars orationis indeclinabilis quae praeponeitur aliis partibus orationis per compositionem vel per appositionem quae tamen non videtur mihi de intentione Prisciani licet aliqui viliter ipsum reprehendentes sibi haec imponant quia in Maiore Volumine, in principio capituli de praepositione, antequam diffinitionem praepositionis aliquam posuerit, vult quod praepositio addita aliquibus per appositionem vim dictionis sibi defendat, | et per consequens partis, addita autem aliquibus per compositionem vim dictionis partis, ita

quod non est dictio, et si non est dictio, manifestum est quod non est pars secundum intentionem Prisciani, et si non est pars, non est praepositio, propter quod manifeste patet quod talia addita aliquibus non sunt praepositiones secundum intentionem Prisciani, tamen talia quae sunt praepositiones, si cadunt cum eadem parte cum illis cum quibus componuntur, habent aliquam similitudinem cum praepositionibus veris, ut ipsemet vult in Maiore Volumine: invado hostem, utrobique enim « in » significat « contra » et ideo irrationabiliter Priscianum reprehendunt. Dicamus ergo ad praesens sequentes opinionem Prisciani et Donati, quod praepositio habet duos modos significandi essentielles quorum unus est generalis, alter specialis. Modus significandi generalis praepositionis est significare per modum disponentis, qui dicitur generalis quia in alia specie partis reperitur, ut visum est, et iste modus significandi potest haberi per Priscianum qui vult quod praepositiones disponant aliquo modo actum sicut adverbia, unde plurimas ponit convenientias Priscianus, in Maiore Volumine, inter praepositiones et adverbia, ut apparet intuenti. Modus autem specificus est modus significandi per modum retorquentis casuale ad actum, casuale inquam se habens ut « quem » vel ut « quo » ita quod per hoc totum circumloquimur unum modum significandi specificum praepositionis constituentem ipsam in specie partis, cui non habemus nomen impositum sicut nec in aliis modis significandi, et hoc videtur esse de intentione Prisciani qui vult quod praepositiones solum addantur partibus casualibus et solum in accusativo et ablativo. Si ergo praepositiones solum deserviunt accusativo et ablativo, deservient eis per aliquid quod est solum commune istis, quotiescumque aliquid inest diversis inest eis per aliquid commune; hoc autem non potest esse casus in communi quia non solum competit praedictis duobus, immo etiam omnibus aliis. Sed tamen haec fuit opinio Graecorum de praepositione licet non sufficienter, quia Graeci ponebant quod praepositiones nominativo et vocativo solum, ut dictum est prius. Ideo modus significandi specificus praepositionis significare per modum retorquentis casuale ad actum, unde casuale est, sed casuale se habens ut « quem » vel « a quo » ad actum, ita quod per hoc quod est « ad quem » vel ut « a quo » circumloquitur modus significandi communis istis, cui non est unum nomen impositum qui est modus significandi praepositionis, unde praepositio est, sicut Philosophus, in primo Perihermeneias, secundum intentionem commentatoris Ammonii, vult quod hoc quod est alicuius de aliquo vel alicuius ab aliquo, quae sunt duae differentiae specierum contentarum sub enuntiatione, videlicet affirmativis et negativis, circumloquitur differentia communis enuntiationi, unde enuntiatio est; et ista videtur esse intentio Philosophi, in

primo Priorum, ubi dicit quod praepositio est oratio affirmativa vel negativa alicuius de aliquo vel alicuius ab aliquo. Sic ergo patet quod praepositio significat per modum disponentis et retorquentis casuale, se habens ut « quem » vel « a quo » ad actum, et quia hoc quod est « ad quem » vel « a quo » importa[n]t causas, et causa multipliciter dicitur, ideo omnes praepositiones multiplices sunt ad minus de multiplicitate analogica, quia isto modo causa dicitur multipliciter, ita quod hoc quod est ut « quem » magis respicit causas intrinsecas, formam videlicet et materiam; « a quo » autem magis extrinsecas, finalem videlicet et efficientem, et quia nullum argumentum vadit contra istam solutionem, ideo de praepositione ista sufficiunt.

INTERIECTIO similiter est pars orationis indeclinabilis habens duos modos significandi essentiales quorum unus est generalis, alter specialis. Iuxta quod est intelligendum, sicut vult Priscianus in Maiore, fine capituli de adverbio, quod Graeci ponebant interiectionem sub adverbio quia interiectiones determinant ipsa verba expressa sive subintellecta sicut et ipsa adverbia, ut dicendo: « pape! quem video », vel dicendo « pape » per se; quia tamen interiectiones habent significationem verbi et non adverbia, ideo Latini separant eam ab adverbio et ab aliis partibus orationis, et ideo secundum opinionem Latinorum quorum opiniones in grammaticis sequi debemus interiectio est pars indeclinabilis habens duos modos significandi essentiales quorum unus est generalis et alter specialis: generalis est significare per modum disponentis, qui dicitur generalis quia in aliis partibus orationis reperitur, ut visum est prius; specialis autem est significare per modum afficientis animam, et hoc vult Donatus dicens quod interiectio est pars orationis significans mentis affectum voce incognita. Ideo secundum diversitatem animae diversae sunt interiectiones ad invicem. Unde licet interiectio significet mentis conceptum, quia nichil est per vocem significatum nisi prius fuerit conceptus ab intellectu, tamen illum conceptum significat interiectio per modum afficientis animam, ut patet evidenter in hoc quod est « pape ». Sic ergo patet quod omnes partes indeclinabiles communicent in modo significandi per modum disponentis.

Sed si aliquis diceret: plus differunt partes indeclinabiles inter se quam declinabiles, partes autem declinabiles non conveniunt in modo significandi generali, ergo nec indeclinabiles; dicendum est quod partes declinabiles differunt magis quam indeclinabiles, quod patet evidenter ex illis quae dicta sunt.

Sic ergo patet quod omnes partes indeclinabiles habent duos modos significandi essentiales | quorum unus est generalis et alter specialis, et sic patet ad primum quaesitum.

Ad rationes. Ad primam cum dicitur : si omnes partes indeclinabiles haberent duos modos significandi essentiales tunc interiectio haberet ; dicendum quod verum est, ut iam apparuit.

Ad aliam, cum dicitur : Illae partes quae non sunt distinctae secundum speciem ab aliis partibus orationis non habent tales modos significandi etc. ; dicendum quod verum est et cum dicitur quod partes indeclinabiles sunt huiusmodi, dicendum quod falsum est sicut iam apparuit, et cum probatur : partes indeclinabiles trahunt sua significata ab adiunctis, dicendum quod habent significata et modos significandi secundum se licet varientur secundum adiuncta, quod convenit, quia omnes per modum disponentis significant et dispositio variatur secundum variationem disponibilis, et sic patet ad istud.

Secundo fuit quaesitum : utrum hoc adverbium quod est « O » possit congrue construi cum hoc quod est « magister ».

Et arguebatur quod non. Quia omnis constructio congrua est per modos significandi proportionales, sed « O » non habet modos significandi proportionales cum hoc quod est « magister » ut videtur, ideo etc.

Item, si illud quod magis videtur inesse non inest, nec illud quod minus, sed magis videtur quod hoc quod est « O » possit construi cum verbo vel cum participio quam cum vocativo eo quod in verbo et participio invenit modos significandi proportionales, ut visum est prius aliquatenus, sed cum illis non construitur congrue, ut de se patet, ergo cum vocativo.

In oppositum arguitur per dictum commune, et hoc videtur Priscianus innuere qui ponit exemplum tale :

O regina, novam cui condere Iupiter urbem.

Ad quaestionem, est intelligendum quod « O » habet multas significationes, ut dicit Priscianus in Maiore Volumine, capitulo de adverbio. Uno modo, est adverbium vocandi, ut dicitur in Vergilio : O regina etc. Alio modo, significat admirationem, ut dicitur in Iuvenale :

O qualis facies et quali digna puella !

Alio modo, significat indignationem, ut cum dicitur in Cicerone : O tempora, o mores ! Alio modo, est adverbium optandi ut cum dicitur in Vergilio : Adsis o tantum etc. Alio modo, est nomen quando ponitur pro

hac littera : O. Alio modo, est interiectio quando admirationem significat vel dolorem. Sed quaestio solum est de ipso ut est adverbium vocandi.

Ad quam dicendum est quod hoc quod est « O » construitur cum hoc quod est « magister » et cum quolibet vocativo congrue, quia hoc quod est « O » est adverbium et est tale adverbium, scilicet vocandi. Ratione qua adverbium est, semper construitur cum verbo, vel expresso vel subintellecto, sicut videmus in aliis adverbiiis quae aliquando construuntur cum verbis subintellectis, ut si aliquis percuteret aliquem et aliquis diceret : « bene, bene » ; ratione autem qua tale adverbium semper construitur cum vocativo, nam modus significandi per modum vocantis vel vocandi proportionalis est modo significandi per modum vocati.

Et si aliquis diceret : posita causa, ponitur effectus : si ergo modus significandi vocationis est causa constructionis alicuius cum vocativo, tunc verbum vocativum, ut « vocor », quod significat per modum vocationis construeretur cum vocativo, quod falsum est, ergo primum ; dicendum quod verbum vocativum significat vocationem per modum significandi vocativi non per modum significandi per modum vocantis, et ideo construitur cum omni eo quod significat rem suam per modum vocalis vel nominalis, ut sunt nomina propria, et ideo non valet.

Ad rationes. Cum dicitur omnis constructio est congrua per modos significandi proportionales, verum est, et cum dicitur quod « O » non habet modos significandi proportionales cum li « magister », falsum est, sicut iam apparuit.

Ad aliud, cum dicitur : si illud quod magis videtur inesse etc., verum est ; sed magis videtur quod « O » construeretur cum verbo vel participio, dicendum quod falsum est, quia in eis non invenit modos significandi proportionales, sed in hoc quod est « magister » invenit, ideo etc.

IV.

cod. M
fol. 50 R^a

Album potest esse nigrum, hoc est sophisma propositum quod probatur sic : quod est album potest esse nigrum, ergo album est nigrum.

Improbatio sit : quod potest esse nigrum, possibile est ut sit nigrum, album potest esse nigrum, ergo possibile est ut album sit nigrum ; consequens est falsum, ergo aliqua praemissarum : non maior, ergo minor, scilicet : album potest esse nigrum.

Solet dici quod ista : « album potest esse nigrum », est vera, eo quod hoc

quod est album potest supponere pro forma accidentali tantum, sic propositio est falsa, quia tunc est sensus : album potest esse nigrum, id est, albedo potest esse nigredo ; vel pro subiecto formae accidentalis, et sic vera, et est sensus : album potest esse nigrum, id est, subiectum albi potest esse subiectum nigri.

Circa istud sophisma tria quaerebantur. Primo, de significatione termini accidentalis concreti, utrum significet formam accidentalem tantum, vel subiectum tantum, vel aggregatum ex forma accidentali et subiecto, vel aliquid aliud. Secundo, de veritate huius propositionis : album potest esse nigrum. Tertio, utrum « potest » faciat propositionem modalem.

De primo argumentatur, et videtur quod album et consimilis terminus accidentalis quilibet concretus significet formam accidentalem tantum :

1^o Quia illud quod significat qualitatem tantum significat formam accidentalem tantum, sed album significat qualitatem tantum, ut dicit Philosophus in Praedicamentis, ergo solam formam significat.

2^o Praeterea. Ista se habent per ordinem : esse, *intelligere* et *significare* ¹. Illud ergo solum per vocem significatur quod per ipsam intelligitur, nunc per album solum intelligitur forma accidentalis, ergo album solam formam accidentalem significat.

3^o Praeterea. Avicenna dicit : quod est aliquid in alio est aliquid in se, quia ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, scilicet : si nichil est in se, nichil est in alio, nunc accidens est aliquid in alio, ergo est aliquid in se absolutum ; et sicut habet esse, sic habet intelligi et significari ², ergo significabitur absolute sine subiecto.

4^o Praeterea. Abstractum et concretum idem significant, sed abstractum significat tantum formam accidentalem, ergo et concretum.

5^o Praeterea. Simplicius dicit in Praedicamentis quod nichil est commune substantiae et accidenti. Tunc argumentatur : quae non faciunt unum intellectum non faciunt unum significatum, sed accidens et subiectum non faciunt unum intellectum quia nichil commune est eis, ergo non ³ unum significatum, et sic tantum significabit formam accidentalem.

6^o Praeterea. Si subiectum esset de significatione termini concreti tunc esset nugatio dicendo : simus nasus, quod est contra Philosophum in Elenchis.

¹ *intelligere* et *significare*] *significare* et *intelligere* *cod.* — ² *significare* *cod.* —

³ *2a man.*

Oppositum argumentatur. 1^o Quia si album non significaret subiectum non esset fallacia figurae dictionis dicendo : quidquid emisti, comedisti, quod est contra Philosophum. Unde si diceretur : albedinem emisti, ergo albedinem comedisti, non esset falsa. Ergo album plus significat quam albedo et sic subiectum.

2^o Praeterea. Illud significat terminus quod per eius diffinitionem exprimitur, sed subiectum per diffinitionem exprimitur accidentis, ut in septimo Metaphysicae apparet, ergo nomen accidentis significat subiectum.

3^o Praeterea. Sicut se habet concretum in substantiis ad suppositum, sic se habet concretum accidentis ad subiectum, sed concretum in substantiis ¹ significat suppositum. Ergo concretum accidentis ² significat subiectum.

4^o Praeterea. Omnis intellectus respectivus includit tantum sui respectum, nunc intellectus accidentis respectivus est, ergo includit subiectum, et sic nomen accidentis significabit subiectum.

cod. M
fol. 50 R^b

5^o Praeterea. Commentator dicit, septimo Metaphysicae, quod qui | negat accidentalibus diffinitionem negat ipsis aliquid quod convenit eis, nunc diffinitur per subiectum, ergo significat subiectum.

6^o Praeterea. Nichil intelligitur nec significatur sine eo quod est de essentia eius, sed esse in alio est de essentia accidentis, ut apparet libro Praedicamentorum, ergo accidens non potest significari sine esse in alio et sic significabit subiectum in quo est.

Ad dissolutionem huius quaestionis, scilicet : utrum accidens concretum significet formam tantum vel subiectum vel aggregatum, sunt quaedam intelligenda. Primo, circa naturam accidentis. Secundo, circa naturam concreti. Tertio, circa naturam subiecti.

Circa primum, notandum quod de essentia accidentis est dependentia quod apparet per Philosophum in Praedicamentis, ubi diffinit esse ³ in subiecto, quod idem est quod accidens, ut dicit Simplicius, et dicit quod esse in subiecto est quod est in alio, non sicut quaedam pars ipsius, sed impossibile est esse sine eo in quo est. Hoc etiam est de intentione Porphyrii in Commentationibus, ubi dicit quod accidentia sunt adventitiae naturae, et Philosophus, septimo Metaphysicae, dicit quod accidentia non sunt entia, sed entis, et Commentator, quinto Metaphysicae, capitulo de ente, dicit quod accidens innatum est existere subiecto. Videtur ergo quod dependentia sit de essentia accidentis, cuius ratio est illa quia, aut dependentia est de essentia accidentis, aut non : si sit de essentia, habeo propo-

¹ non add. cod. — ² non add. cod. — ³ eo cod.

situm; si non, tunc quaeram de dependentia, quae similiter est accidens, utrum dependentia sit de essentia istius accidentis quod est dependentia, aut non: si non, procedam in infinitum, in formis praedicamentorum, quod est contra Philosophum, primo Posteriorum; si sit, eadem ratione fuit standum in primo. Item, illud videtur esse de essentia alicuius per quod formaliter distinguitur ab alio. Nunc per dependentiam accidens distinguitur a substantia quae est ens *per* ¹ se, et similiter unum accidens ab alio, et una species accidentis ab alia, propter diversum modum dependentis ad subiectum, ut patet in Praedicamentis plane per Simplicium.

Si aliquis diceret: si dependentia esset de essentia accidentis, cum dependentia sit relatio, omne accidens esset relatio; non valet, quia Simplicius dicit quod non omnis respectus sive habitudo est in praedicamento relationis. Ideo dependentia quae est in quantitate non est in praedicamento alio nisi in ipso. Eodem modo est in aliis.

Si aliquis diceret: nonne accidens potest habere intellectum separatum a dependentia; dico quod non, immo quicumque intelligit accidens, intelligit dependentiam, non tamen semper intelligit per modum dependentis, ut apparebit post ². Ideo, dicit Simplicius, in Praedicamentis, quod accidens habet duo subiecta: unum in quo est, aliud de quo dicitur; et per respectum ad illud in quo est, dicitur accidens, et per respectum ad illud de quo dicitur, dicitur universale. Ideo voluit Avicenna, in Logica sua, quod accidens concretum est illud cui competit intentio accidentis, non abstractum accidens, nec tale praedicatur de aliquo in quale, immo, si praedicatur, praedicatur in quid, et non in quale, et hoc de primo.

Circa secundum, est intelligendum quod dicit. Est concretum uno modo in substantiis, alio modo in accidentibus. Concretum in substantiis est ut: homo, asinus, et consimilia. Talia autem concreta non significant supposita, quia, licet non habeant esse nisi per supposita, ut vult Philosophus, in Praedicamentis, tamen esse eorum non dependet a suppositis, immo habent esse secundum se. Ideo non significant suppositum. Sed ad concretum in accidentibus tria requiruntur, ut vult Albertus, in Logica sua, scilicet: identitas significati cum abstracto, et identitas vocis, et diversus modus significandi; et similiter hoc vult Philosophus, in Praedicamentis, ubi diffinit denominativa vel concreta in accidentibus, ita quod differentia est inter significationem aequivocam, univocam et denominativam, quia illa | vox significat aequivoce quando nomen est commune, et ratio secundum illud nomen est diversa; univoce, quando nomen *commune* et ratio communis; deno-

cod. M
fol. 50 Va

¹ p. cod. — ² non add. in marg.

minative, quando vox eadem et significatio eadem et modus significandi diversus.

Circa tertium, intelligendum quod subiectum multis modis dicitur. Uno modo, dicitur subiectum quasi sustentans formam; nunc autem duplex est forma: quaedam essentialis, quaedam accidentalis non sustentans formam substantialem, est materia prima quae dicitur subiectum omnium formarum substantialium, ut dicitur primo Physicorum. Sustentans autem formam accidentalem proprie dicitur substantia composita, quae est in se ens completum, et hoc modo sumitur subiectum in Praedicamentis, cum dicitur quod commune est omni substantiae non esse in subiecto, id est, ente completo ¹. Alio modo, dicitur subiectum: « subtus iactum » vel inferius, et hoc modo sumitur subiectum in Antepaedicamentis, cum dicitur: quando alterum de altero praedicatur, etc. Alio modo, dicitur subiectum idem quod obiectum alicuius scientiae, sed dicitur illud obiectum per comparisonem ad intellectum cui primo obiicitur in illa scientia; sed illud idem dicitur subiectum respectu passionum et partium quae ibi probantur de ipso, ut vult Philosophus, primo Posteriorum. Alio modo dicitur subiectum intentio secunda quae debetur incomplexo ut de ipso aliquid dicatur, et sic dividitur *terminus in subiectum et praedicatum* ².

His suppositis, dico ad quaestionem, sine praeiudicio sententiae melioris, quod concretum in accidentibus, ut « album », significat non solum formam accidentalem, scilicet, albedinem, sed aggregatum ex forma accidentali et subiecto, et in hoc concordant Avicenna et Commentator, quinto Metaphysicae, capitulo de ente, et primo Physicorum, dicens quod album non est unum secundum diffinitionem, quia album significat albedinem et recipiens albedinem, et hoc vult Simplicius, in Praedicamentis, dicens quod album duo significat, cuius ratio est prima quia illud significatur per terminum cuius intellectus constituitur, ut dicit Philosophus, in Perihermeneias. Nunc autem, per album constituitur intellectus totius aggregati. Ergo totum aggregatum significat.

Item, illud significat terminus quod denotatur per ipsum. Nunc autem, hoc est totum aggregatum quia forma non probatur de composito, et hoc vult Avicenna, in Logica sua, capitulo de accidente, quod illud quod probatur dicendo: Socrates est album, id est, aliquid habens albedinem; tamen, in modo diversificantur Commentator et Avicenna, quia Avicenna vult quod concretum in accidentibus primo significat subiectum et ex consequente

¹ complete cod. — ² terminus — p.] contraria partium cod.

formam accidentalem, quod non est verum, ut Commentator dicit quinto, quia tunc esset nugatio dicendo : corpus album ; similiter esset processus in infinitum quia quotiescumque aliquid est de significatione alterius, si exprimatur, adhuc intelligitur, et sic in infinitum, ut deducitur libro Elenchorum.

Item, illud primo per terminum significatur cuius intellectus primo constituitur, sed per concretum primo constituitur ¹ intellectus formae accidentalis, deinde subiecti, ideo e contrario dicendo secundum quod Commentator in eodem quinto, scilicet, quod concretum primo significat formam accidentalem et ex consequente subiectum, quia, sicut aliquid habet esse, sic natum est intelligi et per vocem significari ; sed accidens, dicimus, esse habet in rerum natura, unum esse habet quia est essentia distincta ab essentia subiecti licet semper dependeat ad subiectum, etsi isto modo intelligatur essentia dependens ad subiectum ut unum, distincta ab essentia subiecti, et si sic significetur, significabitur nomine abstracti dicendo absolute : quae significat essentiam dependentem *ad subiectum* et *unum*, distincta est ab essentia subiecti. Aliud esse habet in rerum natura accidens quia est unum cum subiecto, et si intelligatur accidens quod est dependens ut unum cum subiecto et significetur, significabitur nomine concreti, dicendo : album, quod quidem album significat formam dependentem ut unum cum subiecto, et ut informans subiectum, et per modum dependentis ad subiectum. Ideo talis terminus significat subiectum ex consequente, non autem abstractum, quia non significat formam accidentalem | ut unum cum subiecto vel ut dependentem, licet significat formam quae dependet ad subiectum.

cod. M
fol. 50 V^b

Si aliquis diceret : si terminus concretus significaret primo formam accidentalem et ex consequente subiectum, quod idem est quod ens completum, tunc esset terminus analogus ; dico quod non. Est terminus aequivocus, nec univocus nec analogus, quia terminus analogus significat unum prius ; aliud ex consequente, ita tamen quod secundum dependet et in esse et in intellectu a primo, ut apparet in ente, sed dicitur proprie de denominativis, et secundarium significatum non dependet nec in esse, nec in intellectu a primo, immo, e contrario, forma accidentalis quae primo significatur dependet in esse et in intellectu a subiecto quod ex consequente significatur. Similiter subiectum non significatur sub ratione subiecti sicut contingit in analogis, sed significatur magis sub ratione informati, ut quidam dicunt, tamen, credo quod concretum significet subiectum sub ratione propria subiecti, licet non primo, quia quotiescumque significatur accidens ut accidens, significatur subiectum ut subiectum, quia accidens ad

¹ primo *add. cod.*

subiectum refertur ; modo per concretum significatur accidens ut accidens, ideo subiectum ut subiectum, licet non primo, sed ex consequente.

Ad rationes utriusque partis transeundo, oportet dicere quia rationes primae partis videntur probare quod nullo modo significet subiectum ; rationes autem alterius partis videntur probare quod principaliter subiectum significat. Ideo ad primum dico quod « album » significat solam qualitatem primo et principaliter, ex consequente tamen subiectum, ut visum est.

Ad aliud, dico quod *per* ipsam vocem : « album » primo et principaliter intelligitur forma accidentalis, ex consequenti tamen, intelligitur subiectum, ideo ex consequente significatur.

Ad aliud, dico quod accidens, quodcumque sit, est aliquid in alio, ergo aliquid in se : concedo ; ergo absolutum : concedo ; non tamen absolutum, ut substantia est ens absolutum, sed absolutum, id est, distinctum, ut dictum est ; licet accidens de natura sua sit dependens, tamen distinctum est quid ab essentia subiecti, ideo potest esse sic significatum.

Si aliquis dicat quocumque modo aliquid comprehenditur ad distinctum a quolibet alio ut sic est absolutum ; dico quod verum est absolutum, id est, distinctum, sed non concludit ratio quod sit absolutum a dependentia ad subiectum, quia nec contingit accidens intelligi sine dependentia ad subiectum, ut visum est prius.

Si aliquis diceret : nonne aliquid verificatur de ipso accidente sine respectu ad subiectum sicut quando superiora de inferioribus praedicantur ; dico quod non, quia accidens dependet ad subiectum semper, tamen accidens non semper significatur per modum dependentis, ideo alia verificantur de accidentibus quae dependent, non tamen ut *unum* dependent, ut visum est prius.

Si aliquis diceret : quodcumque aliqua duo ita se habent sicut antecedens et consequens, antecedens non potest absolvi a consequente, sed dependentia est antecedens ad modum dependentis, ergo non potest absolvi unum ab alio, nec per consequens significari ; ad hoc dico quod aliquid est ¹ consequens eiusdem essentiae cum antecedente, ut : « animal » et « homo », et, in talibus, antecedens non potest absolvi per intellectum a consequente. Aliud est consequens quod non est eiusdem essentiae cum antecedente ut : « risibile » cum « homine », et, in talibus, antecedens potest absolvi per intellectum a consequente. Nunc autem modus dependentis est

¹ *bis cod.*

accidens dependentiae. Ideo dependentia potest absolvi per intellectum a modo dependentis, et sic significari.

Ad aliud, dico quod « abstractum et concretum idem significant » verum est de principali significato, tamen, quantum ad secundarium, plus significat concretum, quia concretum significat sub alio modo significandi, ut vult Philosophus, in Praedicamentis; ex quo subiectum significatur ex consequente.

Ad aliud, dico quod accidens et subiectum non faciunt unum intellectum qui correspondet univocis, sed faciunt unum intellectum qui correspondet denominativis, et talis intellectus qui prius unum intelligit et ex consequente aliud, proprius est denominativis, unde quia non faciunt unum intellectum penitus, | ideo subiectum non significatur primo et principaliter, sed ex consequente.

cod. M
fol. 51 Ra

Si aliquis diceret: nonne faciunt unum extremum enuntiationis, ergo et intellectum unum; dico quod est aequivocatio de uno. Aliquid est unum quod correspondet intellectui simplici; aliud est unum quod correspondet intellectui componenti vel dividenti, sicut dicitur: homo albus, quod est obiectum intellectus componentis et dividenti, ut apparebat alias.

Ad aliud, dico quod non est nugatio: « nasus simus », quia subiectum solum per simum significatur ex consequente, ideo non valet, ut prius visum fuit.

Ad aliud, dico quod concretum aliter se habet in substantiis ad suppositum quam concretum in accidentibus ad subiectum, ut visum fuit.

Ad rationes alterius partis patet solutio. Ad primum argumentum, dico quod non bene concludit ad propositum, quia secundum quod vult Alexander commentator, in primo Elenchorum, mutatio unius praedicamenti in aliud non facit figuram dictionis penes significata vocabulorum, sed penes modum significandi, unde necessario *fallacia*¹ figurae dictionis fit penes ens rationis non penes significatum, et, si concludit, solum convincit ratio quod subiectum ex consequente significetur, quod concessum est.

Ad aliud, dico quod subiectum ponitur in diffinitione, sicut aliquid quod est extra essentiam illius. Ideo quando significatur per nomen accidentis subiectum, ex consequente significatur, nec oportet quod illud quod ponitur in diffinitione accidentis significatur per terminum, sed sufficit quod illud quod diffinitur habeat habitudinem ad subiectum, licet per modum habitudinis ad subiectum non significetur, ut in diffinitione similitudinis ponitur nasus;

¹ figura *cod.*

est enim simitas nasi curvitas, et, per simitatem, nasus non significatur, sed simitas habet habitudinem ad nasum, licet per modum habitudinis ad nasum non significetur propter simitatem, sed per simum. Ideo non valet.

Ad aliud, dico quod bene concludit ratio quod subiectum significat ex consequente, quia significatur accidens per concretum cum respectu ad subiectum.

Ad aliud, dico quod licet diffiniantur accidentia per subiecta, non tamen oportet quod significant subiectum, nec primo nec ex consequente, et loquor de abstractis propter causam quae dicta est.

Ad aliud, dico quod accidens non intelligitur sine esse in subiecto et sine dependentia, ut visum fuit prius, tamen accidens bene intelligitur sine modo dependentis, et sic significatur sub modo dependentis, et ideo non omne accidens, licet dependeat, significat subiectum, sed significat formam dependentem ut distincta est a subiecto, non ut una cum subiecto, ut prius visum est ¹.

Quaerebatur secundo de veritate huius : « album potest esse nigrum » et argumentatur primo quod ipsa esset falsa, quia illa quae sunt unum, sunt unum pro eodem tempore. Ergo quae intelliguntur ut unum, intelliguntur ut unum pro eodem tempore, cum intelligere sequatur esse. Ergo quae significantur posse esse unum, significantur unum pro eodem tempore, sed pro nullo eodem tempore album potest esse nigrum. Ergo ista est falsa : « album potest esse nigrum ».

Praeterea. Dicitur primo Physicorum quod possibile est quo posito inesse, nullum sequitur impossibile, sed, posito quod album sit nigrum, sequitur impossibile, scilicet, album potest esse nigrum, ergo, non fuit possibile album esse nigrum, ergo haec est falsa : album potest esse nigrum.

Oppositum. Supponatur quia magis et minus non diversificant speciem ; secundo, supponatur quod minus nigrum sit magis album, et tunc argumentatur : magis album est minus nigrum.

Praeterea. Socrates est niger, Socrates potest esse albus, ergo album potest esse nigrum.

Ad quaestionem est dicendum quod materia est in potentia ad omnem formam, ut dicitur primo Physicorum. Ideo materia non habet aliquam formam sibi propriam, quia si haberet propriam, non acciperet aliam omnem,

¹ Explicit sophisma determinatum a magistro Sogero de Curtraco *add. cod.*

ut dicit Commentator, ibidem. Ideo subiectum existens sub uno contrariorum tantum est in potentia ad aliud, quia privatio alicuius formae in materia est accidens necessarium, sine quo materia non esset in potentia ad aliam formam, ut dicit Commentator, primo Physicorum. Subiectum ergo existens actu sub uno contrariorum et in potentia ad aliud est, quia ex quo aliquid fit, est in potentia ad illud. Aliter autem fieret quod impossibile est fieri. Nunc autem ex subiecto actu existente sub uno contrariorum fit aliud ut ex albo nigrum, ut apparet primo Physicorum. Erit ergo ista vera: « album potest esse nigrum », cuius ratio sic posset esse, quia quandocumque praedicatum, denotatur inesse subiecto cui proprie inest, dicitur esse vera. Nunc autem ita est quod hoc album potest esse nigrum; | denotatur nigrum inesse subiecto cui inest, ut prius visum est. Ergo ista est vera: « album potest esse nigrum », et videtur esse de intentione Philosophi, primo Posteriorum, versus finem, ubi dicit quod frequenter menti convenit quia non exponuntur bene termini secundum propositum, quia sumuntur abstracta pro concretis, unde subdit quod non est verum dicere: convenit aegrotandi inesse sanum. Cum igitur de quocumque affirmativo vel negativo vera, ista ergo erit vera: convenit aegrotantem esse sanum. Ergo illa: « album potest esse *nigrum* »¹, est vera.

cod. M
fol. 51 R^b

Ad rationes in oppositum, dicendum est ad primam: dicendo quod « illa quae significantur posse esse unum pro eodem tempore », intelligitur illius respectu cuius est potentia per se et non in respectu illius cuius est potentia per accidens et non per se, nec cum dicitur: « album potest esse nigrum » denotatur inesse nigrum albo per se, ratione subiecti, non ratione albedinis, nisi per accidens. Ideo pro eodem tempore haec est vera: subiectum albi potest esse nigrum. Dico quod illud quod est possibile, si ponatur inesse eo modo quo est possibile non sequitur inconueniens. Nunc in ista: album potest esse nigrum, est potentia proprie respectu subiecti, ut prius visum est. Ideo si ponatur inesse, quod subiectum albi fit nigrum, nichil enim est inconueniens quod illud quod fuit album fit nigrum.

Si aliquis velit probare istam probationem sic: inesse album est nigrum, esse veram, sicut probat quidem ratio ad oppositum sic: quia magis et minus diversificant speciem. Nunc magis album est minus nigrum, ergo nigrum. Magis et minus non diversificant speciem. Ergo sequetur: album est nigrum. Dixerint aliqui quod ista est vera: album est nigrum, quia si

¹ verum *cod.*

album supponit pro eo quod est vel fuit vel erit, nunc illa est vera : quod fuit album est nigrum, ideo et illa : album est nigrum ; nec isto modo probatur oppositum de opposito, vel argumentatur. Potest dici quod « minus » esse potest dupliciter. Uno modo potest dicere diminutionem ab eo quod est magis, et sic « minus » non diversificat speciem ab eo quod est « magis », secundum quod vult Philosophus, quarto Physicorum, capitulo de vacuo, dicendo : quod ex calido fit magis calidum, nullo facta in materia calido, quod unum erat prius quando erat minus calidum, et hoc vult Simplicius, in Praedicamentis, capitulo de quantitate, dicendo : tale magis et minus esse penes unum, et isto modo non est verum dicere : magis album et minus nigrum, quia tunc album esset nigrum, sicut probat ratio. Alio modo, « minus esse » potest dicere diminutionem formae. Sciendum quod aliquis dicitur minus sapiens qui non est sapiens, et tale « magis » et « minus » est contra formam, et speciem diversificat, ut dicit Simplicius, et de tali est verum dicere quod magis album est minus nigrum, quia nullo modo est nigrum ; et tunc non sequitur minus nigrum, ergo nigrum, immo est fallacia secundum quid et simpliciter, quia minus diminuit de ratione magis, ut prius visum est. Per hoc patet solutio ad secundum.

Ultimo, quaerebatur utrum « potest » faciat propositionem modalem ; et videtur quod non. Primo, quia illud quod est de consideratione nostra non facit propositionem modalem, sed « potest » est de consideratione nostra, ergo etc. Maior apparet. Minor declaratur ex intentione Philosophi, primo Physicorum et quinto Metaphysicae.

Praeterea. Illud quod facit propositionem modalem formaliter debet esse ens rationis, ut apparet de se, ergo « potest » non facit propositionem modalem.

Praeterea. Si unum faceret propositionem modalem et non alterum, hoc necessario esset propter aliquid repertum in uno quod non reperiretur in altero. Hoc non potest esse vox, in hoc quod est « potest » quia vox non facit propositionem modalem : est enim ens naturale ; nec etiam significatum quia tunc faceret propositionem : « esse *in* potentia », quod non dicimus, nec significatur ratione modi significandi quia nullus modus significandi reperitur in hoc quod est : « potest » quin etiam reperiatur in hoc quod est : « oportet », e converso, tamen, non dicimus quod « oportet » faciat propositionem modalem, ergo « *potest* » non¹ faciet propositionem modalem.

¹ « *potest* » non] non potest *concl.*

Si dicatur: homo est albus per accidens, non dicimus propositionem esse modalem, cum hoc quod est accidens determinet inhaerentiam praedicati ad subiectum, ergo multo fortius nec hoc quod est: « potest » vel possibile, faciet propositionem modalem. Maior apparet, quia in illis de modo ad sumendum contradictorium negatio debet ferri ad modum, sed *in* ista: « homo est albus per accidens » non refertur negatio ad sumendum contradictorium ad « per accidens », immo contradictorium eius est: « nullus homo est albus per accidens ».

Praeterea. « Homo est asinus de necessitate », ista est modalis tam bene sicut ista: « homo est animal de necessitate », ut dicit Ammonius, in commento libri Perihermeneias. Si igitur modus determinet compositionem, illi compositioni quae sit apud intellectum *componentem* ¹ debet aliqua compositio realis, aliter intellectus esset figmentum. Sed in illa: « homo est asinus », nulla est compositio realis. Ergo nec intellectualis, nec per consequens modalis. Ergo nec ista: « homo est asinus de necessitate » ² est modalis. Ergo nec: « homo potest esse asinus ».

Praeterea. Sicut operationes sunt distinctae, sic virtutes sunt distinctae. Similiter subiecta illarum sunt distincta. Cum igitur operatio prima animae differat a secunda et a tertia, similiter obiecta debent differre in re. Cum igitur ista: « homo potest esse asinus » sit obiectum intellectus componentis et dividensis, erit aliqua compositio realis quae obiicitur intellectui, sed talem non est reperire, ergo non est propositio, nec per consequens modalis.

Praeterea. Ista non determinant comparisonem, ergo facit propositionem modalem, quod non dicimus.

Praeterea. Ista per se determinant praedicatum in comparisonem ad subiectum, ergo facit propositionem modalem etc.

Hic est defectus istius sophismatis magnus.

.

¹ corptoꝝ *cod.* — ² non *add. cod.*